



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XXVII. An certum sit, Deum vbique esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Solutio.

homines singuli denos lapides acceperunt. Respondeo non esse determinatum numerum hominum, ex quo singuli possunt denos lapides accipere, sed signato numero 20. hominum, possunt plures etiam denos lapides accipere, & sic in infinitum, absque eo quod ultimum signare possimus. Quod si ex illa multitudine decem homines acciperent singuli denos lapides, opus esset, ex illa infinita multitudine hominum, alios etiam homines manere sine singulis lapidibus, quos posuerunt. Quare recte omnibus consideratis, ego sane nullam hactenus inuenio allatam esse contradictionem evidentem, propter quam Deus non possit infinitum in quantitate producere.

QVÆSTIO VIII.

De existentia Dei in rebus.

QVia vero infinito conuenire videtur, quod ubique, & in omnibus sit considerandum est, utrum hoc Deo conueniat.

Et circa hoc quærentur quatuor.

ARTICVLVS I.

Utrum Deus sit in omnibus rebus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit in omnibus rebus. Quod enim est supra omnia, non est in omnibus rebus: sed Deus est supra omnia, secundum illud Psalm. Excelsus super omnes gentes Dominus, &c. ergo Deus non est in omnibus rebus.

2. Præterea: Quod est in aliquo, continetur ab eo: sed Deus non continetur à rebus, sed magis continet res: ergo Deus non est in rebus, sed magis res sunt in eo. Vnde Augustinus in libro 83. quæst. dicit, quod in ipso potius sunt omnia, quam ipse alicubi.

3. Præterea. Quanto aliquid agens est virtuosius, tanto ad magis distans eius actio procedit: sed Deus est virtuosissimum agens: ergo eius actio perungere potest ad ea etiam, quæ ab ipso distant, nec oportet quod sit in omnibus.

4. Præterea. Dæmones res aliquæ sunt: nec tamen Deus est in dæmonibus: non enim est conuentio lucis ad tenebras, ut dicitur 2. ad Corinth. 6. ergo Deus non est in omnibus rebus.

Sed contra. Vbicumque operatur aliquid, ibi est, sed Deus operatur in omnibus, secundum illud Isaia 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: ergo Deus est in omnibus rebus.

Respondeo dicendum, quod Deus est in omnibus rebus: non quidem sicut pars essentia, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens coniungi ei, in quod immediate agit, & sua virtute illud contingere: unde in 7. Physic. probatur, quod

ARTIC. I.

motum, & mouens oportet esse simul.

Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignis est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conseruantur: sicut lumen causatur in aere à Sole quamdiu aer illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium, quæ in re sunt (ut ex supradictis patet) Vnde oportet quod Deus sit in omnibus rebus, & intime.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus est supra omnia per excellentiam suæ naturæ, & tamen est in omnibus rebus, ut causans omnium esse, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod licet corporalia dicantur esse in aliquo, sicut in continente, tamen spiritualia continent ea, in quibus sunt, sicut anima continet corpus: unde & Deus est in rebus, sicut continens res: tamen per quamdam similitudinem corporalium dicuntur omnia esse in Deo, in quantum continentur ab ipso.

Ad tertium dicendum, quod nullius agentis quantumcumque virtuosus actio procedit ad aliquid distans, nisi in quantum in illud per media agit. Hoc autem ad maximam virtutem Dei pertinet, quod immediate in omnibus agit. Vnde nihil est distans ab eo, quasi in se illud Deum non habeat. Dicuntur tamen res distare à Deo per dissimilitudinem naturæ, vel gratiæ: sicut & ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ.

Ad quartum dicendum, quod in dæmonibus intelligitur, & natura, quæ est à Deo, & deformitas culpæ, quæ non est ab ipso. Et ideo non est absolute concedendum, quod Deus sit in dæmonibus, sed cum hac additione, in quantum sunt res quædam. In rebus autem, quæ nominant naturam non deformatam, absolute dicendum est Deum esse.

Doctrinam huius articuli hac breui conclusio-
ne complecti possumus: Deus est ubique.

DISPUTATIO XXVII.

An certum sit, Deum ubique esse.

Errores de hac re. cap. 1.

Veritas Catholica. cap. 2.

Quibus modis Dei presentia in loco describatur. cap. 3.

CA.

39
1. d. 37. q. 1.
art. 1. Et 3.
cont. gent.
cap. 68.

Lib. 83. qu.
9. 20. in prin.
habetur,
tom. 4.

Lib. 7. Physic.
textu. 10.
quæ ad 13.
inclusus
tom. 2.

qu. 7. art. 1.

In cor. art.

Athanas.

Anthropomor-
phica.

Nazian.

Aristoteli.
Deum non
esse ubique
existimant.Manichaei
in eodem er-
rore versati
sunt.Eugubius,
Psal. 138.
Eugubius.
Dicitur in coe-
lo tantum
per presen-
tiam, & ef-
fectum esse
existimant.

S. Thom.

Peripatetici,
Platonici,
Tullius.
Tales Milesi-
osus.
Sententia est
Peripatetico-
rum Deum
ubique exis-
tere.
Heraclit.

Deinde hæc est communis sententia Patrum, inter quos præter Athanasium, & Nazianzenum iam commemoratos, & alios plures, quos seq. art. enumerabimus, Chrysostom. homil. 5. in c. 2. ad Colof. Deum ubique esse, certa fide credendum affirmat. Ex professio etiam id docuit Augustin. lib. 7. de ciuit. cap. 30. ubi inter alia de Deo inquit: *Implens cælum, & terram præsentem potentia, non absente natura.*

Patrum com-
munis sen-
tentia.
Chrysost.
August.

Ad hæc in Scriptura sacra sunt manifesta huius veritatis testimonia. Hierem. 23. *Cælum & terram ego impleo, & Psal. 138. Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades, &c.* ubi dum assignat extrema mundi loca, in quibus dicit esse Deum, in reliquis quoque omnibus partibus ipsum esse, plane indicat. Nec fas est hæc, & plura alia Scripturæ testimonia alio modo, quam de præsentia secundum substantiam interpretari. Nisi enim hoc modo essent intelligenda, non diceret Scriptura Hierem. illo 23. *Cælum, & terram ego impleo, & 3. Reg. 8. stetit cælum, & celi cælorum te capere non possunt, & Iob. 11. Excelsior cælo est, & quid facies, profundior inferno, & vnde cognoscies? longior terra mensura eius, &c.* In quem sensum hæc & alia complura Scripturæ loca Sancti Patres intellexerunt. Quocirca Scholastici Doctores inter alia Dei attributa immensitatem merito connumerant, quæ non solum ab omnipotentia, & æternitate, sed etiam ab infinitate essentia ratione differt, ut notauimus disput. 25. cap. 5.

Ex scriptura
ostenditur.
Hier. m. 23.
Psal. 138.

Scholastico-
rum placitum.

Quod vero in confirmationem suæ sententiæ afferebat Eugubinus, friuolum plane est. Quamuis enim Deus substantia sua rebus sordidis intime adit, stulte quis suspicaretur ab illis ipsum inquinari posse, cum summè spiritualis sit. Id quod optime explicant Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacra. p. 3. cap. 17. & Magister in 1. d. 47. c. Solus, exemplo animæ rationalis, quæ quia spiritus est, à corpore leproso non inficitur. Idem exemplo Solis demonstrauit August. lib. de Agone Christiano c. 18. & de natura boni cap. 29. Ostendunt quoque rationem, cum sit Deus spiritus, ac proinde immutabilis, etiam si locis inferis tormentorum substantia sua præsens sit, perturbari nequit, sicut neque à corpore inquinari.

Diluitur
fundamentum
Eugubii.
Hugo.
Magist.
August.

CAPVT III.

Quibus modis Dei præsentia in loco describitur.

Non solum Deus in Scriptura in loco esse dicitur, sed peculiari quadam ratione præsentia eius in loco significatur. Dicitur enim in cælo esse, tanquam in sede, & throno, terram autem illi esse, tanquam scabellum pedum suorum. Quem modum loquendi varie Doctores intellexerunt. Eo autem vitur Scriptura Isaia 66. & alibi sæpe numero. Quo pacto Dei locum, & magnitudinem explicauit etiam Orpheus apud Clementem Alexand. lib. 5. Stromat. prope nem, & apud Cyrillum lib. 5. contra Iulianum post medium, Cyrillus ergo in eum locum Isaia, ita explicat. Cum Deus sit in rebus omnibus, pretiosiores, quæ nomine Cæli significantur, dicitur habere tanquam sedem, & thronum: viliores vero, quæ terra denotantur, suppedaneum eius esse dicuntur.

Cui Cælum
sedes, terra
scabellum
Dei dicatur.
Isaia 66.
Orpheus.
Cyrillus

Id ipsum alio modo explicat Damascenus lib. 1. de fide cap. 16. ut Cælum Dei sedes dicatur, quod ibi sint Angeli beati, qui ipsius voluntati obie-

Damasc.

quantur: ac proinde illud sit veluti sedes, & domicilium: terra autem appelletur subscellum pedum suorum: quia Deus homo factus in terra cum hominibus conuersatus est. Ipsa etenim Christi caro, pes Dei dicitur (inquit Damascenus) ac proinde terra scabellum pedum suorum. Quæ quamuis vera sint, negari non potest eo modo loquendi Dei magnitudinem, & immensitatem more humano in Scriptura significari, quod extrema mundi ita impleat, ut sedens in cælo, terram tanquam scabellum pedum suorum habeat. Cum vero dicitur in Psalm. 113. *calum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: non ideo dictum est, quia in terra non sit, sed quia cælum ipsum, non autem terra, tanquam aula regia Deo deferuiat, cum in cælo gloria ipsius Beatis appareat, in terra vero hominum gloria, & imperium resplendeat: ideoque cælum Deo: terra autem dicitur data filiis hominum. Eadem quoque ratione Cælum, habitaculum Dei in Scriptura dicitur, ut in Psalm. 112.

DISPUTATIO XXVIII.

An ex operatione Dei in rebus, colligatur præsentia eius in ipsis.

Ex operatione Dei non probari præsentiam eius, sensit Scot.

cap. 1.

Quid S. Thomas, & alii sentiant, cap. 2.

Observationes quædam ad huius controversie explanationem, cap. 3.

Media opinio solutione testimoniorum posterioris sententia probatur, cap. 4.

Eadem sententia solutione rationum posterioris opinionis confirmatur, cap. 5.

CAPUT I.

Ex operatione Dei non probari præsentiam eius, in rebus, sensit Scot.

TAmetsi Catholica doctrina, quam paulo ante exposuimus de existentia Dei in omnibus rebus, apud omnes Scholasticos citra controuersiam sit, variant tamen in ratione illius assignanda. Illi, qui putant, rationem existendi in rebus Deo esse operationem, eo probant, ubique esse, quod in omnibus rebus operetur. Contra vero qui affirmant, Deum per nudam suam essentiam in rebus esse, monstrare conantur, hoc ei ratione operationis non conuenire. Referemus igitur singulorum rationes, easque more solito examinabimus.

Scotus.

Ex præsentia omni potentia non colligitur præsentia substantia sensit Scotus.

Okam.
Bassolis,
Gabr.

Attributum immensitatis ratione substantia con-

Prior ratio sit Scoti in 1. d. 37. q. vnica, ubi asserit, ex præsentia omnipotentia Dei in rebus præsentiam ipsius secundum substantiam non probari. Appellat vero præsentiam omnipotentia, præsentiam operationis ac si diceret, ex operatione non satis colligitur præsentia substantia Dei in loco, ubi ipse operatur. Quocirca existimat, operationem non solum non esse ei rationem existendi, ubi operatur: sed etiam per locum (ut aiunt) intrinsecum, ex vi nempe operationis, & omnipotentia, nihil repugnare, Deum in distans operari, nisi aliunde ratione sue immensitatis ubique esset. Scotum secuti sunt Okam in 1. eadem d. q. vnica ubi rationem S. Thom. ex professo impugnat: Bassolis q. vnica, & Gabr. q. vnica art. 3. dub. 1. Cum his etiam faciunt, qui putant, Deum secundum suam substantiam præsentem esse infinitis locis imaginarijs extra cælum, quos disp. 26. referemus. Omnes autem vno ore affirmant, attributum hoc im-

CAP. I. & II.

mensitatis, non ratione operationis, sed proxime ex ratione suæ substantia Deo conuenire.

Henricus Deo secundum Scot.

Scotus autem hanc suam sententiam tribus rationibus confirmat. Prima est, quamuis nullum agens corpuscum operari possit, nisi in corpus sibi coniunctum, aut virtute deriuata per spatium continuatum, & sibi coniunctum: id tamen spirituali agenti, præsertim vero infinitæ virtutis, qualis est Deus, necessarium non est. Hoc enim corporato agenti ob ipsius imperfectam, & limitatam virtutem conuenit. Quare si agens infinitæ virtutis sit, loci propinquitate, aut spatij continuatione non indigebit, neque ea limitari poterit: ergo non repugnat intelligere, Deum in distans operari. Secunda ratio, Deus omnipotens operatur nuda suæ voluntatis, voluntas autem eius circa absens, & distans versari potest, ergo & illius etiam operatio. Tertia ratio, ut Deus crearet vniuersum initio durationis opus non fuit, prius fuisse præsentem intervallo, & spatio imaginario, in quo mundus creatus esse videtur: ergo ad operationem non indiget præsentia secundum substantiam. His tribus rationibus non modo directe probat Scotus præsentiam secundum substantiam nulla ratione esse priorem operatione Dei in rebus, sed etiam eisdem, præsertim vero secunda probare videtur, nec ex vi operationis Dei in rebus ipsi secundum substantiam præsentem esse, siquidem in id, quod ab eo distat, recte intelligi potest operari.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

CAPUT II.

Quid S. Thomas, & alii sentiant.

Posterior ratio, qua eadem Catholica sententiam alii colligere contendunt, desumpta est ex operatione Dei transeunt in res ipsas, quas creat, & continuo conseruat: atque ita ex attributo omnipotentia, qua Deus omnia operatur, probant attributum immensitatis, qua Deus per substantiam suam omnia replet. Hac ratione vtuntur cum S. Thom. Caiet. & recentiores aliqui in hunc art. Alber. in 1. d. 37. art. 1. Bonauent. 1. p. d. art. 1. q. 1. Agidius 1. p. d. art. 1. q. 1. & 2. Durand. q. 1. Capreol. q. 1. art. 1. concl. 1. & art. 3. in solut. argumenti contrariam. Ricard. art. 1. q. 1. Thomas de Argent. q. 1. art. 1. atque Ferrar. 1. 3. contra gent. c. 68: & consentire videtur Henricus in summa, art. 30. q. 5. Antifiod. lib. 1. Summae c. 15. q. 1. ad 1. qui cum paulo ante docuisset, sola fide constare nobis existentiam Dei in rebus, tandem ex earum conseruatione infert Deum in ipsis esse. Deinde recentiores Thomistæ, qui hac vtuntur ratione, cum Caietano assensum operationem transeuntem Deo esse rationem, & fundamentum existendi in rebus, sicut corporibus est quantitas ratio replendi locum.

S. Thom.

3

Caietan.

Alber.

Bonauent.

Agid.

Durand.

Capreol.

Ricard.

Argent.

Ferrar.

Henric.

Antifiod.

Rationem vero, & fundamentum existendi in rebus Deo esse operationem tribus modis recentiores confirmare nituntur, primo ex Scriptura, deinde ex Patribus, postremo ratione, primo loco ex Scriptura Psalm. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: supple, etiam illic es.* Subiungit deinde causam, Etenim illuc manus tua deducit me, & tenebit me dextera tua. Non me later quod ait Eugubinus in eum locum, nimirum illis verbis non assignari causam, eo quod in Græco habeatur *καὶ ἐν ἑβραῖο* *וְגַם*, & sensus sit, ut ipse exponit, tantum abest, ut tuam præsentiam effugiam, ut etiam illuc manus tua deducat me,

Probat ex Scriptura Deum esse ubique ratione operationis.

Eugub.

mc,